



~~SM.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
VI-73. ———  
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.



*Q. D. B. V.*  
DISQUISITIO

*De*

NATURA

LOGICÆ,

Consensu Inclytæ Facultatis Philosophicæ  
In Alma Lipsiensi

Publicæ Eruditorum Ventilationi subjicienda,

*PRÆSIDE*

M. JOH. FRIDERICO Engelmann/  
SS. Theol. Cultore,  
&

*RESPONDENTE*

JOH. Gottfried Zenzern / Grosmilcaviâ Misn.  
Bonar. Art. & Philosoph. Baccal. & Alumno  
Electo.

*Ad diem 13. Junii Anno 1674.*

H. L. Q. C.

---

Typis Viduæ Johannis Wittigau.



9

DISPOSITIO  
 MATHEMATICA  
 LOGICA  
 Constanti in arte Facultatis Philosophicae  
 in Alma Lipsiensis  
 P. B. A. N. N. 1774  
 H. I. C.  
 Typis Viduae Johannis Wittenbergae





## PROOEMIUM.

**O**gitantibus nobis, de quâ materiâ Exercitationem quandam Academicam exhiberemus; Logica thematum non minus jucundorum, quàm utiliû ingentem subministravit copiam. Cum verò hâc vice præfens materies omnium maximè arri-ferit nobis; illius pertractationi particulam temporis impendere, integrum duximus. In quo negotio ita verfaturî sumus, ut, sepositâ Autoritate, quàm tamen in magno habemus pretio, illud asseramus, cujus evidentes rationes in promptu erunt, intellectum nostrum alienorum placitorum mancipium non facturi. Quod ut feliciter cedat, Deum devotè rogamus.

### THESIS. I.

Logica est ars in tribus humanæ mentis operationibus rectificandis occupata.

#### Ἐκθεσις.

##### §. I.

**I**ncipimus à definitione, cum illa tanquàm satis fœcunda, plurima suppeditet, quorum explicationem in sequentibus subnectere mens est.

§. 2. Meritò autem resolvimus eam, ut cum *Philosopho VI. Topic. IX. §. 6. & XI. §. 6.* loquamur, in ὄνομα & λόγον, h. e. in *definitum*, cujus locum obtinet vox *Logicæ*, & *definitionem strictè* sic dictam reliquis verbis comprehensam; quæ ipsa iterum continet *Genus & differentiam*. Genus est ars, differentia autem sumitur partim ab objecto, tribus mentis humanæ operationibus, partim à fine, *rectificatione nempè trium illarum operationum mentis.*

THESES. II.

De Definito notanda sunt tria. 1. Etymologia,  
2. Homonymia & 3. Synonymia.

Ἐκθεσις.

§. I.

**E**tymologiam quod attinet, vox Logicæ origine est Græca, derivatur enim ἀπὸ τῆς λέγῃς, quod à λέγω non minus ac νόμος à νέμω, τρόπος à τρέπω, μονή à μένω, πλοκή à πλέκω, uti notum satis est, descendit. Ejusmodi nomen græcum nostra disciplina commune habet cum omnibus aliis disciplinis philosophicis, quia, uti illæ disciplinæ philosophicæ, ita & hæc nostra ars à Græcis primùm systematicè tradita, anteqvàm Latinis communicata populis; apud quos non solum nucleus, sed & ipse cortex retentus est.

§. 2. Vox λόγος varias habet significationes. Notat enim, quod præsens concernit, tum λόγον ἐνδιάθετον, tum etiam προφορικόν, ille Latinis dicitur ratio, hic verò audit oratio.

§. 3. A quo autem denominationem suam nacta sit Logica, inter Autores controvertitur. Quidam enim denominationem à priori λόγῳ approbant, cum ipsa ad emendanda rationis vitia constituta sit, & in dirigendis actibus rationis præcipuè versetur; sermo autem externus partim ad Grammaticam, quæ illius integritatem, partim ad Rhetoricam, quæ ejusdem ornatum spectat, meritò sit referendus. Aliis contrarium placet putantibus, denominationem à sermone externo magis convenientem esse menti Aristotelis, cum Logica faciat ad congressus & Syllogismum formet, qui absq; oratione esse non possit.

§. 4. Nos, ut litem aliquo modo dirimere queamus, distinguimus inter denominationem primariam & secundariam, dicentes, Logicam denominari primariò à λόγῳ ἐνδιάθετῳ, secundariò verò à προφορικῷ. Ille quippe ad ipsum esse facit, hic ad bene esse & ex accidenti tantùm advenit, cum aliquis possit esse perfectus logicus, qui nec loqui, nec scribere valet.

§. 5. Atq; hinc facile significationem vocis dare possumus, quòd nimirum notet disciplinam rationalem (eine Vernunft-Kunst) aut etiam sermocinalem. Vox enim λογική revera est adjectiva & subintelligi debet τέχνη id est ars vel disciplina.

§. 6. De

§. 6. De quâ voce etiam id notatu dignum, quòd quidem in Aristotele inveniatur; verùm in alio sensu, quia ipsi notat partem artis differentem ex probabilibus, & probare λογικῶς ipsi idem est, ac non ἀναλυτικῶς, sed διαλεκτικῶς saltem probare *l. Post. Analyt. XXII. 12. & 22. et. c. XXIV. §. 13.* eodem sensu inter argumenta λογικὰ & ἀναλυτικὰ distinguit; hodiè verò est appellatio totius disciplinæ comprehendentis præter dialecticam etiam Analyticam.

§. 7. Ratione *Homonymiæ* quadruplex evolvenda acceptio. Sumitur enim 1. pro logicâ naturali, 2. usuali, 3. artificiali & 4. systematicâ. Logica *naturalis* est potentia naturalis omnibus hominibus, doctis & indoctis insita, cujus beneficio discurrere & concludere possunt. Logica *usualis* est forma accidentalis in disciplinis realibus, consistens in concinnâ methodo, divisionibus, argumentationibus &c. Logica *artificialis* est habitus acquisitus ex præceptis logicis ab artificibus traditis. Logica denique *systematica* est congeries præceptorum logicorum, ex quibus logica artificialis comparatur.

§. 8. Prima à Naturâ originem habet; Secundam Philosophi ante Aristotelem jamjam rebus immerfam & per exempla cognitam diuturno usu sibi acquisiverunt; Tertiam quilibet huic rei intentus per crebras actiones acquirit, & quartam olim Philosophi ope logicæ naturalis ex Philosophiâ propter Philosophiam genuerunt. Vid. *Jacob. Mart. Probl. Philos. disp. 8.* Cùm enim viderent majores solarum notitiarum insitarum ope difficulter admodum progressos, cogitarunt de aliquo remedio, quod ipsum etiam adepti scripta Majorum suorum legendo, methodum observando, varias propositiones & syllogismos colligendo, & tandem universalia præcepta constituendo. In hoc tamen opere alii plura, alii præstiterunt pauciora, dum mox de definitione, mox de Enunciatione &c. aliquid præstiterunt; donec tandem Aristoteles Logicam perfectam exhibuit.

§. 9. Nos hâc vice sumimus Logicam pro habitu comparato ex præceptis logicis, à quo solùm perfectus aliquis denominari potest logicus.

§. 10. Superest *Synonymia*, ubi variæ ejusdem appellationes notandæ veniunt. Sunt autem partim propriæ, partim metaphoricæ, illæ: *ars rationis, ratiocinandi facultas, disciplina argumentatrix, Dialectica,*

lectica, Instrumentum Instrumentorum &c. metaphoricæ verò: *Cynosura mentis, manus Philosophiæ* &c. De Vocabulo Dialecticæ observetur, quòd sumatur tum generaliter, & sic est Synonymum Logicæ denotans totam disciplinam; tum specialiter, & sic denotat tantum partem logicæ docentem, quomodo differendum ex probabilibus. Deindè organum organorum dicitur, quia ejus usus per omnes disciplinas & artes liberales fusus est, quæ in respectu ad superiores facultates omninò sunt Instrumenta. Dicitur quoque posset, Logicam ob excellentiam ita nominari. Uti enim Canticum Canticorum notat Canticum omnium excellentissimum; Sic organum organorum organum omnium excellentissimum. Manus Philosophiæ dicitur propter similitudinem: Uti enim manus est Instrumentum dandi & accipiendi; ita hæc est scientia inveniendi & accipiendi rationes, & aliorum inventa rationibus vel approbandi vel refutandi.

THES. III.

Genus Logicæ non est scientia, non facultas non habitus instrumentalis, sed ars.

Ἐκθεσις,

§. 1.

**Q**uanquam cognitio controversiarum de Genere Logicæ tironi Logices non sit necessaria; paucis tamen illas controversias attingere placet, cum non minima pars scientiæ philosophicæ in pertractandis illis consistat.

§. 2. *Non est Scientia.* Scholastici quidem Logicam Scientiam appellant, & eam tanquam genus assumunt; ut sunt *Svarezius, Scotus, Fonseca, Arriaga, aliique*; ast si rem penitus inspiciamus, absque injuriâ vocabuli scientiæ fieri id non potest. Quid enim propriè sit scientia; *Aristoteles I. Poster. Anal. c. II. §. 1.* monstrat his verbis: *Scire est rem per causam cognoscere, propter quam res est, nec posse eam rem aliter se habere.* Requiritur itaque hîc, ut de subiecto scientifico affectiones demonstrabiles demonstrantur per principia vera. Si jam Logicam consideremus, maxima diversitas datur. Hæc humanæ mentis operationes non considerat tanquam subiectum scientificum, sed tanquam materiam, in quam ut cæteræ artes, formam suam introducit.

§. 3. Nec



§. 3. Nec est, ut regeras, Logicam scientificè procedere, cum probat definitionem debere esse clariorem definito, quia definitio & manifestatio definiti &c. adeoque propterea esse vocandam scientiam. Id enim de artibus quoque verum, v.g. cum ars sutoria dicit: in calceis; pro soleis ponendū est corium solidius, quia eis innititur pes. Posito igitur in Logicâ inveniri propositiones, quæ merè speculabiles videntur; ita tamen erunt comparatæ, ut meritò pro virtualiter & æquivalenter practicis haberi possint, quales sunt, *Genus patet latius suis differentiis, definitio convertitur cum definito &c.*

§. 4. *Non est Facultas.* Cum enim facultas sit æquè contrariorum, ita, ut de uno eodemque subjecto diversa & opposita possint probari per principia diversa, uti patet exemplo Rhetoricæ, quæ aptos reddit ad suadendum & dissuadendum &c. Logica verò, prout totaliter consideratur, hoc privilegio non gaudeat; omninò verissimè concludimus illam non esse Facultatem. Et quanquam certum sit, dialecticam ad utramque contradictionis partem reddere idoneum; notum tamen etiam illud decantatum: *Genus competere debet speciei toti.*

§. 5. *Non est Habitus Instrumentalis.* Loquimur nos de genere proximo, quale in legitimâ definitione assumi debet, nam genus remotum omninò concedimus esse habitum mentis instrumentalem, Logicamque talem habitum esse, asserimus.

§. 6. Quanquam enim hîc reclament multi Philosophorum, quî negativam inferre conantur ex eo, quòd Logica superioribus disciplinis præscribat, quomodo Syllogismos demonstrativos conficere debeant; iis tamen indirectè & directè respondere possumus; indirectè, quòd etiam Grammatica præscribat aliis disciplinis, imò summis viris, ne committant Solæcismos, ob quam tamen causam nemo Grammaticam eximit numero instrumentalium habituum. Directè, non inferre rationem, quod inferre debet, quia modò infert hoc, Logicam esse instrumentum nobile & à vilioribus distinctum. Deinde varia etiam *præscriptio*; alia enim *originaria & propria*, alia verò *derivativa & concessa*; Logicæ præscriptio non est originaria & propria, sed derivativa & concessa, quia à Philosophia propter Philosophiam genita.

§. 7. Sequestratis itaque sententiis rejiciendis dicimus Genus Logicæ verum esse artem. Undè enim aptius Genus desumi potest, quam

quam ex numero quinario habituum à Philosopho ipso *VI. Eth. ad Nicom. c. III.* exhibito? quo numero non tantum habitus principales, sed etiam instrumentales complexus est. Cum igitur quilibet videat, neque sapientiam, neque intelligentiam, neque prudentiam sine magna absurditate constitui Logicae Genus posse, necessario dicendum erit, eam esse vel Scientiam vel artem; quod scientia non sit, ex supra dictis clarum, remanet ergo ars, quod legitimum, & verissimum Genus asserere nulli dubitamus.

§. 8. Probamus autem nostram assertionem hoc modo: Quaecunque disciplina habet requisita artis, illa omnino est ars. Atque Logica &c. E. Major est ex terminis clara, Minor etiam facile probari potest. Omnis ars requirit certam materiam, in quam practice aliquid agit. Sic ars sutoria loco materiae habet corium; Logica etiam habet materiam, circa quam occupata, haec est intellectus humanus & illius tres operationes. Omnis ars exposcit certa instrumenta, per quae in materiam operatur, v. g. ars sutoria requirit subulam &c. etiam Logica suis gaudet instrumentis, haec sunt praecipuis notiones secundae. Omnis ars introducit per sua instrumenta formam in materiam v. gr. uti sutor in corium introducit formam accidentalem calcei; Logica quoque formam suam, quae est rectitudo definiendi, concipiendi, dividendi & argumentandi per certa instrumenta in intellectum humanum introducit. Omnis ars est habitus cum recta ratione effectivus, adeoque relinquit aliquem effectum, uti artis sutoriae effectus est calceus; neque Logica destituitur suo effectum, qualis praecipuis est syllogismus, ad cuius effectum reliquorum quicquid est effectuum facit, v. gr. cum efficiuntur propositiones.

§. 9. Atque hinc sequitur, non requiri ad artem, quae talem, ut operetur in materiae externae & aliquod opus in sensus incurrens relinquat; Haec enim conditiones arti ut sic non competunt, quia multae inveniuntur artes, quae finita operatione nullum eiusmodi opus relinquant, quales sunt ars saltatoria, digladiatoria, inflatio tubarum &c. Distingvendum igitur inter *artes crassas* operantes in materiae crassa, & *subtiles* operantes in materiae subtili, illae relinquant opus in sensus incurrens, v. gr. ars sartoria, sutoria; haec vero non v. gr. ars saltatoria, digladiatoria, quae operantur in facultatem locomotivam, qualis ars est etiam Logica, quae operatur in intellectum.

THES.

THES. IV.

Objectum Logicæ sunt tres mentis operationes.

Ἐκ τῶν τριῶν.

§. 1.

**L**ogici in assignando objecto valdè discrepant. Quidam enim putant, objectum Logicæ esse res omnes, quatenus notionibus secundis substant; Quidam verò censent, terminos esse objectum Logicæ, ex quorum copulatione efficiantur propositiones & integri demum Syllogismi; & denique nonnulli objectum constituunt tres mentis operationes, uti facit *Eustach.* à *S. Paulo in quest. logic.*

§. 2. Nos, ut eò clarius procedamus, nonnulla præmonemus. Diximus Logicam esse artem, ex quo statim sequitur, Logicam requirere objectum operationis, in quod operatur tanquam ars & rectitudinem suam introducit, non aliter ac ars futoria requirit ejusmodi objectum, quod est corium. Deindè etiam notandum, objectum nobis denotare id, quòd per se immediatè & non ratione alterius attingitur ab aliquâ arte aut disciplina.

§ 3. His præsuppositis patet, primam sententiam meritò esse rejiciendam. Quis enim non videt, illam maximè esse absurdam, quæ asserit, quòd in res omnes, cælum, hominem, bovem, asinum, subulcum &c. suam rectitudinem introducat Logica? ut adeò Ariaga non falsò falsus sit, omnes illos, qui huic sententiæ adstipulati in disputationibus fuerunt, cum dedecore Cathedram reliquissent. Estne Logica bubulcus, aut opilio, inquit, ut ostendat quàm sit absurda & ridicula. Quamquam enim verum sit, Logicum omnibus rebus imponere notiones secundas, ut adeò res ipsas Logica omninò aliquo modo attingat; huic tamen dubio satisfacit, si dicamus ad objectum requiri, ut immediatè & non ratione alterius attingatur; quod ipsum de rebus asseri nequit, quæ in Logicâ hoc respectu attinguntur tantùm in obliquo & ideò illis notiones secundæ imponuntur, ut mediantibus iis operationes intellectus possint rectificari, & rectitudinem recipere.

§. 4. Quod alteram sententiam concernit, dicimus terminos non esse objectum, sed effectum quasi, quando prima mentis operatione

B

ratio

ratio lese exerit, nec videmus, quâ ratione, stante hâc sententiâ, propositiones & Syllogismi ab objecto hoc possint excludi.

§. 5. Optima ergo sententia est ultima, ubi observandum, nos statuere objectum Logicę esse tres mentis operationes, quatenus sunt rectificandæ. Ante lapsum hæ operationes erant rectissimæ & nullus committebatur error, vel in simplicium apprehensione, vel compositione & divisione, vel etiam argumentatione; hodiè post lapsum autem sunt corruptæ, & non tantum posteriores duæ mentis operationes, sed etiam prima errori est obnoxia. Hæ sunt rectificandæ & propterea Logica constituta est ad emendanda illa vitia, quæ etiam rectificatio peragitur, cum rectitudinem concipiendi, dividendi, & argumentandi &c. tanquam formam in has operationes introducit.

§. 6. Quod, ut intelligatur, paucis hæ operationes declarandæ veniunt. Prima consistit in simplicium apprehensione absq; affirmatione & negatione, v. gr. cum intellectus cognoscit hominem absque affirmatione & negatione. Vocatur aliàs intellectio repræsentativa objecti sine iudicio, secundum quam intellectus non aliter, ac sensus per sensationem in objectum suum fertur. Secunda consistit in affirmatione & negatione, estq; actio illa, quâ intellectus cognitis jam terminis eisdem vel conjungit per copulam, vel separat per particulam negantem, dicitur aliàs compositio & divisio. Tertia operatio consistit in ratiocinatione, vocatur aliàs intellectus operatio discursiva, cum unum ex altero colligitur. Ex quibus omnibus sequitur, Logicam non incommodè ab aliis definiri per artem benè apprehendendi, enunciandi & concludendi.

THE S. V.

Finis Logicæ est rectificatio trium operationum mentis.

Επιθεσις.

§. 1.

Communiter progredi aliter consueverunt Logici. Nam plerumq; duplicem afferunt finem, unum internum, alterum externum vocant. Finem internum dicunt esse Syllogismum, quia hic ipse sit intra ipsam disciplinam, & in potestate artificis, uti etiam finis

orato-

oratoriæ internus est oratio; finem autem externum vocant Veritatem, cum hic ipse finis non sit intrâ ipsam disciplinam, neque in potestate artificis, qualis finis in oratoriâ est persuasio.

§. 2. Nos ab his aliquo modo secessum facimus, cum multæ difficultates, & incommoda circa hanc rem inveniantur, quas digito velut monstrasse sufficiat. Nam primò Syllogismus non videtur accuratè statui finis, cum sit effectus aliquis logicus, jam verò constat, finem & effectû non semper coincidere. Et posito, Syllogismum esse finem, esset tamen finis non totius Logicæ, sed saltem partis communis, quia per totam hanc partem omnia ad Syllogismum diriguntur. Deinde etiam veritas titulum finis externi vix habere potest, Syllogismus quippe bonus est in potestate Logicæ, in ejusmodi autem Syllogismo conclusio ipsissimam veritatem infert, & qui Syllogismum demonstrativum conficere potest, sine hoc frustrari non potest. Taceo, quòd Veritas, si vel maximè concedamus esse finem, non sit finis adæquatus, quippe dialectica longè alium præfixum habet, quæ docet differere ex probabilibus, adeoque efficit cognitionem minùs accuratam, opinionibus tantùm aliorum & communibus principiis nixam.

§. 3. Satuimus igitur finem totius Logicæ esse rectificationem trium operationum mentis. Si enim illæ tres mentis operationes, quatenùs rectificandæ, sunt objectum Logices; sanè finis ejusdem erit rectificatio trium illarum operationum mentis, quæ consequentia est clarissima, & in multis aliis exemplis patet, v. g. quia objectû futuri est corium, quatenus exindè calceus efficiendus, finis etiam futuri erit effectio ipsa calcei, quia finis ab objecto determinatur. Et perpendatur saltem, Logicam artem in hoc corrupto statu ideò esse inventam, ut ratio subsidium habeat & per hanc ab ignorantia nebulis liberetur, veræque cognitionis lux in illâ accendatur. Hic finis est ultimus Logicæ, cujus gratiâ eandem addiscimus.

§. 4. Diximus, hunc esse ultimum finem, quia etiam fines intermedii queunt dari, quales sunt apprehensio rerum simplicium, formatio propositionum & effectio Syllogismorum, qui tamen fines omnes ad rectificationem trium operationum mentis nostræ tendunt.

## Logica non est pars Philosophiæ.

Εκθεσις.

§. I.

**P**robamus nostram assertionem potissimum h. m. Quæcunque disciplina neque ad Sapientiam neque Prudentiam potest referri, illa non est pars Philosophiæ; Atque Logica neque ad Sapientiam neque Prudentiam &c. E. Major constat ex definitione Philosophiæ, definitur enim per habitum Sapientiæ & Prudentiæ constantem; Minor etiam quoad utrumque membrum probatu facilis. Non ad Sapientiam potest referri, quia hæc est habitus ex scientiâ & intelligentiâ constans; jam Logica neque est Scientia, quoniam hæc in nudâ rerum contemplatione consistit & de subjecto necessario affectiones proprias per principia propria demonstrat, Logica verò in nudâ contemplatione non acquiescit, quippe ille non est logicus, qui scit quidem, quid sit Syllogismus, nullum tamen conficere potest; sed tendit etiam ad effectum & operatur. Neque etiam est Intelligentia, utpote quæ versatur circa principia prima, quæ absque medio cognoscuntur. Si igitur ad Sapientiam non potest referri, eritne referenda ad Prudentiam? minimè, Prudentia siquidem est habitus cum rectâ ratione activus, eiq; competit ad agere; quod nihil aliud est, quàm bonum morale prosequi & malum fugere. Logica autem est habitus cum rectâ ratione effectivus, eiq; competit ad efficiendum. Sponte item in Logicâ arte qui peccat, magis eligendus est: in prudentia autem idem qui facit, minus: quod discrimen inter artem & prudentiam adducit *Phil. VI. Eth. ad Nic. c. V.*

§. 2. Qui affirmativam assumunt, Philosophiam describunt per habitum circa omne ens versantem, quatenus ex ratione consideratur, ad felicitatem obtinendam, quâ ratione Logica ex consortio disciplinarum Philosophicarum extrudi non potest. Ex quo apparet rectè censuisse *Pererium, l. 1. de Phil. cap. 18.* dissensionem in hac quæstione non esse de rebus ipsis, sed de verbis, aliis nempe strictius, aliis latius vocem Philosophiæ sumentibus.

§. 3. Inter hos, qui Logicam ad Philosophiam referunt, datur etiam dissensus, quomodo ad eandem sit referenda. Veteres, inter quos erant Stoici, totam Philosophiam diviserunt in Physicam, Ethicam,

Ethicam, & Logicam. Sub Physicâ non tantùm Physicam in specie sic dictam, sed etiam Metaphysicam & Mathematicam; Sub Ethica non tantùm Ethicam speciatiim sic nominatam, sed totam etiam Philosophiam practicam comprehenderunt: Et denique sub Logica omnes disciplinas instrumentales collocarunt. Atque huc referendæ sunt similitudines non inelegantes, quibus in declarandâ hâc re, & ostendendâ simul connexionem inter has disciplinas usi sunt. Mox enim Philosophiam similem dixerunt ovo, in quo Logica putamen, Ethica albumen & Physica luteum, seu vitellum representet, significantes hoc ipso, Philosophiam tribus his constare partibus, & deindè Logicam quasi aditum efficere ad reliquas disciplinas Philosophicas. Mox eandem compararunt animali, cujus ossibus similis sit Logica, carnibus Ethica & animæ Physica; item urbi, in quâ Logica murorum vicem subeat, Physica civium & Ethica optimarum legum.

§. 4. Recentiores plerumque aliter procedunt retinentes receptam divisionem in Theoreticam & practicam, Logicamque referentes ad Philosophiam practicam, prout vocabulum *πράξις* sumitur latè effectiorem simul includens.

#### THESES. VII.

Logica dividitur in partem communem seu generalem, & propriam seu specialem.

Εἰς ἄρχην.

§. I.

**P**Ars communis considerat ea, quæ ad omnem Syllogismum spectant sive apodicticus, sive Topicus, sive Sophisticus. Pars verò propria agit de syllogismi speciebus ex parte materiæ considerati v. gr. de demonstrativo &c.

§. 2. Fundamentum igitur hujus divisionis est diversus syllogismi considerandi modus; potest enim spectari vel in actu signato & præcisè ut syllogismus, quatenus in quacunqve materiâ fabricari formaliter potest, vel in actu exercito & restrictè, prout forma syllogismi ad certam materiam est alligata, in quâ sese exerit, priori modo Syllogismus consideratur in parte communi, posteriori verò in parte propria.

B 3

§. 3. At-

§. 2. Atque hinc nihil obstat, quod pars communis de terminis & propositionibus, earumque dispositionibus agat, eoque non videatur materia syllogismi ad solam partem propriam restringenda. Nam diversa datur ratio considerandi: in parte communi termini & propositiones in genere explicantur, v. gr. prout terminus vel major, vel minor, vel medius in Syllogismo est, item quomodo ex propositionum qualitate & quantitate dispositio Syllogistica dependeat; In parte autem propria audimus, quomodo termini inter se sint affecti, an medius respiciat majorem, ut causa, an propositiones sint necessariae, an verò probabiles. &c.

§. 3. Utraque pars rursus dividitur; Pars generalis in tres tractatus, quorum primus agit de terminis, secundus de propositione, & tertius de Syllogismo. Cujus subdivisionis fundamentum sunt tres mentis operationes, circa quas Logica nostra versatur, unde & prima pars noëtica, altera Synthetica, & tertia dianoëtica solet appellari.

§. 4. Pars specialis similiter dividitur in tres tractatus, quorum primus agit de syllogismo demonstrativo, secundus de probabili & tertius de Sophistico. Fundamentum est triplex Syllogismi materia. Quia enim termini & propositiones non sunt ejusdem generis & indolis, sed diversam habitudinem inter se sortiuntur, oritur diversa indoles tum terminorum, tum etiam propositionum, & syllogismorum.

#### THESES. VIII.

Logica est necessaria ad scientias capeffendas.

Εκθεσις.

§. 1.

**A**D hanc thesin intelligendam notandum, *necessarium* aliud esse *simpliciter tale*, aliud *secundum quid*; illud est, quo absente res nullo modo potest existere, quia ratione intellectus necessarius est ad intelligendum, hoc est, quod facit ad melius & facilius efficiendum, sic equus aut rheda est necessaria ad iter in dissitum quendam locum perficiendum.

§. 2. Jam formanda aliquot conclusiones. Prima sit: *Logica ad capeffendas scientias non est necessaria simpliciter, ita, ut absque hac reliqua*



liqva scientiæ planè non possint existere. Nam uti Logica potest habere definitionem, divisionem & argumentationem, etiam si minimè præcesserint actus Logici; ita etiam reliqva scientiæ absolute poterunt habere definitiones, divisiones &c. quæ consequentia probatur à pari. Si enim prima cognitio potuit haberi sine ullâ præviâ doctrinâ, nihil impedit, quò minus idem fieri possit in secundâ aut tertiâ.

§. 3. Consideremus Philosophos ante Aristotelem. Hi omninò cognitionem rerum philosophicarum habuerunt, etiam si iis nullum ejusmodi scriptum logicum suppetiverit, ex quo doctrinas logicas potuerint haurire.

§. 4. Dicis: in scientiis multi inveniuntur syllogismi, qui sanè præsupponunt cognitionem logicam de Syllogismo? Resp. non est absurdum, uti aliquem argumentationibus, etiam si Logicæ artificialis cognitione destituatur. Hinc etiam rustici in quotidianis colloquiis adhibent argumentationes, solâ Logicâ naturali instructi. Si igitur Logica naturalis tantum valet efficere in rusticis; quid non in illis efficiet, qui Intellectum à vilioribus rebus abstrahunt.

§. 5. Hinc *Arriaga Disput. 3. Logic. Sect. 4.* dicit: Logicam in materiâ particulari Philosophiæ aut Theologiæ judicare non posse, utrum extrema connectantur cum medio, sed relinquendum hoc judicium esse propriis scientiis; Ex quo patet, scientias ipsas esse sufficientes ad hæc dijudicanda, neque Logicam absolute requiri.

§. 6. Secunda Conclusio: *Logica ad capeffendas scientias necessaria est secundum quid, ut nempe ille commodius, & facilius obtineantur.* Probamus eam h. m. Per quamcunque disciplinam fucum in argumentationibus falsis, errorem in definitionibus & divisionibus &c. facile possum deprehendere, illa omninò necessaria est ad scientias facilius obtinendas. Atqui per Logicam &c. E. Minor constat. Quia enim magna ingenii humani imbecillitas, facile quis potest decipi, putando Syllogismum fallacem esse rectum. Qui igitur Logicæ cognitione est instructus & omnia secundum præcepta examinare potest, per medios errorum scopulos magnâ cum securitate transire valet.

§. 7. Hinc est, quòd maximi Philosophi impedimentum ad scientias capeffendas unicum statuere soleant, nempe non prius tenere modum sciendi. Hæc causa est, cur Logicam lumini comparant,

parant, quo absente tota in studiis literarum peregrinatio miserabilis quædam erratio est. Hoc lumine extincto, *Philosophus* (utor verbis canæ & sanæ antiquitatis, vid. *Jacob. Martin. in Probl. Philos.*) est *morosophus*, *Medicus mendicus*, *JureConsultus juris tumultus* & *Theologus matæologus*.

§. 8. Quâ verò ratione Logica influxum habeat in alias scientias, inter Autores non convenit. Nos cum *Arriagâ* dicimus, Logicam non concurrere efficienter, sed tantum directivè ad actus aliarum scientiarum, quod ipsum patet ex eo, quia Logica est necessaria, ut aliæ scientiæ commodiùs acquirantur, quod ipsum per directionem fieri potest optimè. Docet igitur Logica modum extruendi definitionem & inter efficiendum saltem directivè concurrat.

§. 9. Hæc sunt, quæ de hâc materia asserere placuit, Tu, L. B. illa serenâ fronte accipe, & si minus accurata, ingenii nostri tenuitatî adscribe.

SOLI DEO GLORIA.



Ung VI 73


ULB Halle

3

004 108 515







9

*B. V.*  
 ISITIO  
 U R A  
 ICÆ,  
 cultatis Philosophicæ  
 Lipsiensi  
 ntilationi subjicienda,  
 IDE  
 RICO Engelmann/  
 Cultore,  
 DENTE  
 /Grosmilcaviâ Misn.  
 h. Baccal, & Alumno  
 or,  
 ii Anno 1674.  
 Q. C.  
 annis Wittigau.